



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 45. Discordiæ inter Aurelianensem & Burgundum Duces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C. 1406.

§. XLV.

*Discordiæ inter Duces Aurelianensem
& Burgundum.*

Monstrelet.
l. I. c. 25.

Sub idem ferme tempus Aurelianensis Dux, atque Regina ob arctam, quæ inter eos intercesserat, amicitiam sibi populi imò, & Principum invidiam conciliabant. Hinc Burgundiæ ac Britanniaë Duces indignabundi aula excedunt, sed quantocius convocato eam ob causam supremo Senatu redire iussi sunt. Regressus est quidem Burgundus; cum autem tam suæ, quam regionum liberorum, quibus Reginam, atque Aureliæ Ducem insidiari noverat, securitati consulturus, ingentem armatorum manum secum traxisset; ideo bellicus iste aspectus tantum utrique terrorem incussit, ut ipsi Melodunum aufugerent; Ludovico autem Bavaro Reginaë fratri negotium darent, Delphinum unacum Ducis Burgundi liberis ad castrum Pauliacum quantocius deduceret. Quo comperto Burgundiæ Dux, eos tanta celeritate insecutus est, ut Principem Delphinum Juvissii ex fuga interceptum Lutetiam Parisiorum secum reduceret. Inde acerbius inter Principes odium exarsit. Nihilominus dissensionis flammæ, Navarraë Regis ac Bourbonii

bonii Ducis opera, saltem ad tempus so- Sæcul. XV.
 pitas fuisse exinde constat, quod Aureliæ A.C. 1406.
 ac Burgundiæ Duces Parisiis mutuo se se
 recepissent amplexu, & reciproca fide si-
 bi amicitiam spondissent. Verum hæc
 reconciliatio nec diuturna, nec seria fuit.

§. XLVI.

*Innocentius Papa Romam revocatur,
 & redit.*

Romani servitutis a Rege Ladislao, ac Niem de
 Columnensibus sibi jamjam imminen- Schism. l. 2.
 tis periculo feliciter defuncti, Innocen- c. 39.
 tium VII Romam revocant, polliciti, se illi
 omnem Imperii Romani auctoritatem,
 prout ejus habebat Prædecessor, plene
 reddituros. Nuntium excepit Papa non
 sine ingenti gaudio, ac confestim Bar-
 tholomæum Episcopum Cremonensem,
 suumque Romæ Commissarium, ut Pon-
 tificis nomine Urbis possessionem cape-
 ret, ablegavit. Hujus mandati literæ
 datæ sunt Viterbii die vigesima septima
 Januarii anno millesimo quadringentesi-
 mo sexto. Postmodum Papa maximis
 honoribus, & sub festivis populi accla-
 mationibus circa medium mensem Mar-
 tium Romam ingressus est.

§. XLVII.